Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26237
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Unde est quod uni in hieme cum alio infirmitate ... moriuntur ... in hieme.

Huic subiecit aliquis. Unde quid est quod si aliquis uno tempore hieme cum aliquo infirmi-
tate. non tamen moritur in hieme quam in uere. Cum infirmitates oriantur
ex malo humore per membra se diffundentes ex frigore humores constrin-
guntur. nec possunt diffluere. Ex calore autem ueris eidem dissoluuntur
quibus discurrentibus per membra succumbit homo et moritur. Hoc tempus ab a-
riete incipiens. extenditur dum sol est in thauro et geminis. primum quoque
medio aprilis. secundum medio maii intrat. Huic tempori consimiles sunt aer et
sanguis et pueritia quia calidi et humidi sunt. In eo se melius continent me-
lancolici, peius sanguinei. melius senes peius pueri. et pessima infirmi-
tas quae uenit ex sanguine ut sinocha. minus mala quae uenit ex melancolia
ut quartana. In eodem est curandum in frigidis et siccis. Cum autem sol usque
ad cancrum ascendit. ex propinquitate suam terram incendit et desiccat. Unde
est estas calida et sicca. quae in medio iunio incipiens. quando sol intrat
cancrum. extenditur donec sol est in leone tamen quem intrat in medio iulii. et
donec est in uirgine. quam intrat in medio augusti. Huius autem tempus est ra-
dices herbarum et arborum desiccare consimile est igni colere iuuentu-
ti. hec enim calida et sicca est. In ea melius se habent flegmatici. peius cole-
rici melius decrepiti. peius iuuenes. Pessima est infirmitas quae uenit ex colera.
minus mala quae ex flegmate. In eodem utile est in frigidis et humidis aug-
mentandus est potus minuendus cibus. Cum enim ex calore aperta sunt corporis po-
ri. euaporat calor naturalis. ex quo non ita bene digeruntur cibi. sed quia potus cito
transit in sanguinem augmentandus est. Hic oritur questio cum iste diuersitates
in predictis temporibus ex propinquitate et remotione solis habeant existere.
sol uero existens in leone tantum distat a nostra habitabili quantum existens
in geminis. et in uirgine. quantum in thauro. et in libra. quantum in ariete.
quare in his tribus operatur calorem et humorem. in duobus istorum calorem et sicci-
tatem. in tertio frigiditatem et siccitatem. Cui respondendum est quod sol in
his animalibus existens. ex hoc quod propinquius est operatur calorem. et ex uici-
nitate hiemis precedentis humorem. Cum uero sit in leone et uirgine ex propin-
quitate operatur calorem. sed quia iam ex calore estatis et ueris humor desicca-
tus est non est quod tepefaciat calor. nec unde sit humiditas. Inde est autem tempus cali-
dum. Cum uero est in libra. quia iam omnino desiccatus est humor. et extinctus calor

Quare sol in diuersis signis equaliter distantibus a nobis diuersa operetur.